

*dens, etsi non sit contritio.* 2. Concil. Trid. de attritio-  
ne ex metu gehennae loquens, ait: *Et quamvis sine Sa-  
cramento Poenitentiae per se ad justificationem perduce-  
re peccatum nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sa-  
cramento Poenitentiae impetrandam disponit;* ergo est  
dispositio sufficiens, non tantum remota, ut volunt ad-  
versarii, sed proxima, nam 1. Concil. loquitur de di-  
spositione in ipsomet Sacramento, non extra Sacramen-  
tum. 2. Loquitur de dispositione quae cum solo Sacra-  
mento gratiam infallibiliter impetrat: ergo &c.

*Objicies 1.* Patres Tridentini verbum, *disponit*, sub-  
stituerunt verbo, *sufficit*, quod primum ab iis fuerat usur-  
patum; ergo non est dispositio sufficiens.

*Resp. Nego conseq.* Ideo enim tantum verbum *suffice-  
re* fuit deletum, ne daretur occasio existimandi nullum  
amorem Dei imperfectum requiri in attritione.

*Objicies 2.* Ex nostra sententia sequitur aliquem posse  
dari casum in quo quis salvaretur sine actu charita-  
tis Dei: (v. gr. potest fieri, ut qui per totam vitam im-  
pie vixit, nec unquam actum charitatis elicit, actum  
attritionis eliciat, absolvatur, et statim moriatur) absur-  
dum conseq. ergo.

*Resp. Nego. seq. maj.* Nam attritio importat firmum  
propositum observationis mandatorum Dei pro tempo-  
re quo urgent, et cum, in casu proposito, urgeat prae-  
ceptum charitatis: qui attrititur, tenetur actum charitatis  
elicere, quem si omittat, fit reus peccati omissionis.

#### §. IV. De Confessione.

*Quaeres 1. Quid sit confessio?*

*Resp. Definitor:* *Sacramentalis accusatio peccatorum  
suorum post Baptismum commissorum, facta Sacerdoti,  
ad eorum veniam obtinendam, virtute clavium.*

*Quaeres 2. Utrum confessio sit necessaria necessita-  
te praecepti divini?*

*Resp.* Est iis qui post Baptismum in peccatum morta-  
le lapsi sunt: nam Christus dedit sacerdotibus judicaria-  
riam potestatem dimittendi et retinendi peccata; atqui  
haec potestas non potest rite exerceri nisi cognita prius  
causa per confessionem; ergo, &c. Hinc Concil. Trid.  
*sess. 14. can. 6. definit: Si quis negaverit confessionem  
sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam  
esse jure divino... anathema sit.*

*Objicies.* Nectarius Patriarcha Constantinop. abro-  
gavit confessionem; ergo.

*Resp. Dist. ant.* Abrogavit Confessionem secretam,  
*nego.* Publicam, *subdist.* pro peccatis occultis, *conc.* pro  
publicis, *nego.* Hoc est. Nectarius abrogavit usum quae-  
dam peccata occulta publice confitendi, deposuitque  
poenitentiarium, ac permisit ut unusquisque pro arbi-  
trio et animi sui conscientia ad Sacramentorum com-  
munionem accederet post secretam confessionem fac-  
tam, apud quem mallet Sacerdotem. Ita Socrates et  
Sozomenus.

*Inst. D. Chrysost. Nectarium successor, hom. 57. de  
poenit. ait: Deo soli dic peccatum tuum, et dimittitur ti-  
bi peccatum;* ergo rejicit confessionem auricularem, et  
secretam factam Sacerdoti.

*Resp. Nego conseq.* Nam confessio, quae fit Sacer-  
doti, fit soli Deo, cujus vices gerit Sacerdos.

*Quaeres 3. Utrum fideles teneantur praecepto eccle-  
siastico confiteri?*

*Resp.* Tenentur omnia sua peccata proprio Sacer-  
doti confiteri fideliter, saltem semel in anno, ut prae-  
scribitur can. *Omnis utriusque sexus.*

*Quaeres 4. Quosnam, et sub qua pena, obliget prae-  
ceptum annuae confessionis?*

*Resp.* Obligat omnes utriusque sexus fideles, post-  
quam ad annos discretionis pervenerint, et quidem  
sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae, et privati-  
nis ecclesiasticae sepulturae, ferenda... Porro huic

praecepto non satisfit per confessionem nullam, unde Alexand. VII. damnavit hanc pro. *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.*

Quaeres 5. *Utrum qui toto anno confessionem omisit, teneatur adhuc praecepto ecclesiastico satisfacere?*

*Resp. affirm.* Quia terminus ab Ecclesia non fuit appositus ad finiendam, sed ad non differendam obligationem, ut patet ex his canonis verbis: *Saltem semel in anno.*

Quaeres 6. *Quot sint conditiones ad legitimam confessionem requisitae?*

*Resp.* Sexdecim vulgo assignantur his versibus comprehensae.

*Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis, Necnon nuda, frequens, discreta, libens, verecunda, Integra, secreta, et lacrymabilis, accelerata, Fortis, et accusans, et sit parere parata.*

Harum conditionum duae sunt (nimirum integritas et secretum confessionis), quae pleniora a nobis exigunt expositionem: quare

Quaeres 7. *Quotuplex distinguatur integritas confessionis?*

*Resp.* Duplex, nempe, *materialis*, quae est accusatio omnium peccatorum mortalium, nullo dempto: haec non est semper necessaria, cum plerumque sit impossibilis. Et *formalis*, quae est accusatio peccatorum quae poenitens potest et debet hic et nunc confiteri. Haec necessario requiritur.

Quaeres 8. *Quid requiratur ad integritatem confessionis formalem?*

*Resp. Requiritur* 1. Ut poenitens confiteatur omnia et singula peccata mortalia, eorum species, numerum, et circumstantias peccati speciem mutantem, quae post diligens examen occurrunt; ita definiit Conc. Trident. sess. 14. *can. 7.*

*Requiritur* 2. Ut declaret circumstantias peccatum in eadem specie notabiliter aggravantes, quia rationes quas Concil. Trid. affert ut probet obligationem confitendi circumstantias speciem mutantem, militant pro obligationem confitendi circumstantias aggravantes, nempe, *quod sine illis peccata ipsa neque a poenitentibus integre exponantur, nec iudicibus innotescant: et fieri nequeat ut de gravitate criminum recte censere possint, et poenam, quam oportet pro illis, poenitentibus imponere.*

*Requiritur* 3. Ut confiteatur peccata dubia ut dubia, quia, ut ait D. Thom. in 4. dist. 21. art. 3. ad 3. *Periculo se committit, qui de hoc quod dubitat esse mortale, negligit confiteri;* ergo peccat mortaliter discrimini se committens.

Quaeres 9. *Utrum persona complicitis debeat declarari in confessione?*

*Resp.* Non debet, cum poenitens sine declaratione complicitis potest peccati speciem, et ejus circumstantias necessario aperiendas declarare, quia non licet sine legitima causa infamare proximum. Debet e contra, si id non possit, modo urgeat praeceptum confessionis, et poenitens sine gravi incommodo non possit adire alterum Confessarium, cui complex sit ignotus. Ratio est, quia complex criminis amittit jus ad suam apud Confessarium famam.

Quaeres 10. *Utrum infirmus, qui subita vi morbi obtutescit, possit absolvi absque confessione?*

*Resp.* Si aliqua dederit doloris signa coram uno saltem adstante ea de re testimonium ferente, potest absolvi, quia in casu proposito reperitur confessio virtualis et confusa; ita definiit Conc. Carthaginense IV. quod si nulla signa desiderii confessionis dederit, vel christiane vixit, vel non: *Si non vixit christiane,* non est absolvendus, quia ejus voluntas, obfirmata in malo, non censetur mutata; *Si christiane vixit,* juxta

multos non potest absolvi defectu materiae sensibilis; juxta alios potest absolvi sub hac conditione, si es *capax*: quia in vita christiana, quam duxit, absolutio- nis desiderium, saltem in articulo mortis includitur. Ita Rituale Tullense, pag. 138.

Quaeres 11. *Quot sint causae a materiali confessionis integritate excusantes?*

Resp. Sunt quatuor. 1. Est naturalis oblivio incul- pabilis. 2. Ignorantia invincibilis. 3. Moralis impo- tentia. 4. Est grave damnum sive temporale, sive spi- rituale, vel sibi, vel Confessario, vel alteri, ex ali- cujus peccati declaratione imminens probabiliter, quia praecceptum positivum non obligat cum tanto incom- modo.

Quaeres 12. *An, et quo jure Confessarius teneatur ad sigillum?*

Resp. Tenetur jure naturali, divino, et ecclesiastico. *Caveat omnino Sacerdos*, (inquit canon, *Omnis utrius- que sexus*), *ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem*. Porro haec obligatio tanta est, ut nunquam, nec ullo prorsus casu, sigillum in minimo infringere liceat. Immo non solum Sacer- dos, sed etiam omnes et singuli, qui ex confessione sacramentali, immediate vel mediate, licite vel illicite, verbis vel signis, aliquam sigilli materiam noverunt, tenentur ad secretum: nam res ad quoscumque perve- niat cum suo onere transit.

Quaeres 13. *Quaenam cadunt sub sigillo?*

Resp. Omnia omnino, etiam minima, quae fuerunt sacramentaliter deposita, et nata sunt reddere confes- sionem vel levissime odiosam; quia quicquid fuit sa- cramentaliiter depositum, ab ipso Sacrameto manet sigillatum.

Quaeres 14. *Utrum Confessarius extra confes- sionem possit loqui cum suo poenitente de auditis in ejus confessione?*

Resp. Non potest, nisi ex consensu poenitentis for- mali, expresso, et omnimode libero: quia haec agendi ratio poenitenti molesta est.

#### § V. De Satisfactione.

Quaeres 1. *Quid sit satisfactio sacramentalis?*

Resp. *Definitur: Voluntaria poenae a Confessario injunctae tolerantio ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam, expungendamque poenam temporalem.*

Quaeres 2. *Quot sunt opera poenalia?*

Resp. Juxta Conc. Trident. sunt tria, nempe, *jeju- nium*, per quod intelligitur omnis corporis afflictio; *elemosyna*, sive corporalis, sive spiritualis; et *oratio*, per quam intelliguntur omnes actus religionis.

Quaeres 3. *Quo fundamento nititur debitum impo- nendi satisfactionem poenitentibus?*

Resp. Petitur ex hoc quod Sacramentum Poeniten- tiae non tollat cum culpa poenam quae peccato debetur, sed aeternam mutet in temporalem, ut constat exemplo Davidis, qui, post impetratam veniam sui adulterii et homicidii, fuit punitus morte filii, 2. Reg. 12. et defi- nitur Conc. Trid. sess. 6. can. 30.

*Objicies.* D. Ambrosius, lib. 10 in Luc. ait: *Lacry- mas Petri lego, satisfactionem non lego*. Ergo dimissa culpa, non remanet poena temporalis.

Resp. *Nego conseq.* Nam per *satisfactionem*, intelli- git *excusationem*; addit enim, *quod defendi non potest, abhi potest.*

Quaeres 4. *Utrum Confessarius teneatur imponere poenitentiam poenitenti?*

Resp. *affirm.* Nam tenetur procurare integritatem Sacramenti. Et ideo poenitens tenetur poenitentiam ac- ceptare, quia obligatio praecipienda, et debitum obe- diendi, sunt essentialiter correlativa, adeo ut unum si- ne altero esse nequeat.

Porro Sacerdos in injungenda satisfactione debet attendere haec Concilii Trident. verba sess. 14. cap. 8. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutare et convenientes satisfactiones injungere; ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem.*

Ergo duplex est satisfactio, scilicet, *vindicativa*, quae datur praecise ad peccata praeterita vindicanda, et *medicinalis*, quae datur praecipue ad peccata futura in posterum praecavenda.

Quaeres 5. *Utrum necesse sit, necessitate Sacramenti, ut satisfactio ante absolutionem impleatur?*

*Resp.* Non est necesse, ut constat, tum ex praxi Ecclesiae, tum auctoritate Sixti IV. et Alex. VIII. qui contrariam opinionem damnarunt.

Quaeres 6. *Quandonam poenitens teneatur implere satisfactionem?*

*Resp.* Tenetur tempore a Confessario praescripto, quia determinatio temporis includitur in praecepto. Quod si tempus non fuerit determinatum, tenetur illam implere quamprimum commode fieri potest: nam id exigunt Sacramenti integritas, et ratio debiti ac medicinae.

Quaeres 7. *An satisfactio impleri debeat in statu gratiae?*

*Resp. negat.* Quia opus ipsum, non modus implendi cadit sub praecepto. Cavendum est tamen, ut impleatur in statu gratiae, cum solus justus possit Deo satisfacere de condigno.

Quaeres 8. *An poenitentia ab uno Confessario imposita, possit ab alio mutari?*

*Resp.* Si sit conveniens et salutaris, non potest mutari: e contra, si fuerit imposita, *clave errante*, vel si superveniat circumstantia quae poenitentem efficiat poenitentiae implendae impotentem, potest mutari in sacramentali tantum Confessione, et quidem auditis peccatis, propter quae fuit imposita.

Quaeres 9. *Quotuplex sit poenitentia publica?*

*Resp.* Triplex, scilicet, canonica, quae complectebatur quatuor stationes ex praescripto Canonum decurrendas, publica cum solemnitate, v. gr. stando ad fores Ecclesiae cum cereo accenso; et publica sine solemnitate, v. gr. peracta coram iis qui scandalum passi sunt.

Quaeres 10. *An possit imponi poenitentia publica?*

*Resp.* 1. Non potest imponi poenitentia canonica, quia jamdiu ab Ecclesia sublata est. . . . 2. Non potest imponi poenitentia publica cum solemnitate, nisi ab Episcopo, vel de solius Episcopi consilio et auctoritate, ita Concil. Trid. sess. 14. cap. 8. . . . 3. Poenitentia publica sine solemnitate, potest et debet imponi poenitentibus, quia scandalum necessario debet tolli, et injuria illata reparari.

#### § VI. De ministro Sacramenti Poenitentiae.

Quaeres 1. *Quis sit minister Sacramenti Poenitentiae?*

*Resp.* Solus Sacerdos; solis enim Sacerdotibus dictum est, Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.*

*Objicies.* Jacobi 5. dicitur: *Confitemini alterutrum peccata vestra; ergo &c.*

*Resp. Nego conseq.* Nam 1. juxta plures Patres, ille textus non debet intelligi de Confessione sacra-

mentali, sed de Confessione facta, humilitatis, vel reconciliationis mutuae causa. 2. Si intelligatur de Confessione sacramentali, sic debet reddi cum Cornelio a Lapide, *Confitemini alterutrum*, id est, homines hominibus, non quibuslibet, sed iis quibus a Christo demandata est absolventi potestas.

*Inst.* In antiquis Conciliis et Patribus legitur, poenitentes, urgente necessitate apud Diaconos exomologesim, id est, Confessionem fecisse; ergo.

*Resp.* Loquuntur de Confessione caeremoniali, qua poenitentes a stadio poenitentiae canonicae dimittuntur, et Ecclesiae reconciliabantur; non vero de Confessione sacramentali.

Quaeres 2. *Quotuplex potestas requiritur in Sacerdote, ut possit poenitentem absolvere?*

*Resp.* Duplex, *Ordinis*, nempe, quae confertur in ordinatione, et *jurisdictionis*, sive *ordinaria*, quae datur per beneficium Parochiale, sive *delegata*, quae datur per approbationem Ordinarii: unde Conc. Trident. *sess.* 14. *can.* 4. declarat, nullius momenti absolutio- nem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.

*Objicies.* Quilibet Sacerdos in sua ordinatione accipit potestatem absolventi a peccatis: *Accipite Spiritum Sanctum*, ait Episcopus; *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Ergo potestas ordinis sufficit.

*Resp. Dist. ant.* Accipit potestatem inchoatam, conc. completam. *nego.* Neque enim potestas iudicandi est completa ex parte termini, nisi assignentur subditi, unde, cum Ecclesiae sit assignare subditos, ipsa censetur immediate jurisdictionem actualem et completam conferre, cum conferatur tantum radicalis et inchoata in ordinatione.

*Inst.* Quilibet Sacerdos potest absque jurisdictione absolvere a peccatis venialibus; ergo, &c.

*Resp. Nego. ant.* Contrarium enim declaravit Congregatio Cardinalium sub Innoc. XI. an. 1679. non minus enim jurisdictionis necessaria est ad jus dicendum in minoribus causis, quam in majoribus.

Quaeres 3. *Quis possit delegare ad audendas Confessiones?*

*Resp.* Potest omnis et solus qui habet jurisdictionem ordinariam, ut definiit Bonif. VIII. *cap.* 7. de officio Ordinarii, *in* 6. Hinc delegatus non potest subdelegare; tamen, *cap.* 62. de appellationibus, excipitur Legatus Papae.

Quaeres 4. *An aliquando defectum jurisdictionis suppleat Ecclesia?*

*Resp.* Supplet, modo haec tria concurrant: 1. Quod Confessarius habeat titulum coloratum; 2. Quod ad sit error communis moraliter invincibilis; 3. Quod defectus sit juris ecclesiastici, non divini.

Quaeres 5. *Quid sit approbatio?*

*Resp.* Definatur, *authenticum Ordinarii testimonium, quo Sacerdos ad Confessiones audiendas idoneus declaratur ac deputatur.*

Quaeres 6. *Utrum, praeter potestatem Ordinis et Jurisdictionis, requiratur in Sacerdote approbatio, ut valide absolvere possit?*

*Resp.* Requiritur in Sacerdote non habente beneficium parochiale: ut statuit Concilium Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. Ibiq; revocat omnia privilegia, quibus summi Pontifices concedunt Regularibus facultatem audiendi fidelium Confessiones, non obtenta prius Episcopo- rum licentia et approbatione.

Quaeres 7. *Qualis debeat esse approbatio, sicut et jurisdictionis delegata?*

*Resp.* Debet esse formalis et expresa, nec sufficit ut sit interpretativa aut praesumpta; quia tunc non adest, sed tantummodo adesset sub conditione, nempe, si postularetur.

Quaeres 8. *Utrum Ordinarii possint sibi reservare aliquos casus?*

*Resp.* Possunt, ut definivit Concil. Trident. *sess.* 14. *can.* 7. nam possunt pro libitu jurisdictionem denegare; ergo et ipsam restringere: *Verumtamen*, ait Trident. *cap.* 7. *pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possint.* Porro per articulum mortis intelligitur morale periculum mortis, ut constat ex *cap.* *Eos qui*, de *sent. excomm.*

Quaeres 9. *Quot requirantur ut casus censeatur reservatus?*

*Resp.* Quatuor: 1. Ut peccatum sit mortale in sua specie; 2. Ut sit externum; 3. Ut sit consummatum in sua specie, nisi aliud in statuto exprimat; 4. Ut sit a pubere commissum, nisi impubes exprimat in statuto. *Quintum potest addi*, nempe, ut peccatum sit certum, quia, cum reservatio sit odiosa, est restringenda, et consequenter non extenditur ad casus dubios.

Quaeres 10. *Quibusnam Confessarius teneatur concedere absolutionem?*

*Resp.* Tenetur concedere iis, quos prudenter et cum certitudine morali, iudicat esse vere contritos et rite dispositos; nam per Confessionem acquisierunt jus ad absolutionem.

Quaeres 11. *Quibusnam Confessarius teneatur denegare absolutionem?*

*Resp.* Tenetur denegare eis, quos cognoscit carere contritione et debitis dispositionibus; eorum enim absolutio esset invalida defectu materiae debitaе. Tales sunt, 1. Qui nulla signa dant doloris, aut praecipitis Confessarii parere detrectant. 2. Qui rem alienam restituere, aut damnum illatum resarcire nolunt, cum possunt. 3. Qui odia et inimicitias deponere, et inimicis

reconciliari nolunt. 4. Qui occasionem peccandi proximam deserere recusant. 5. Qui, publicum dantes scandalum, illud tollere non curant. 6. Qui nolunt abstinere ab usura, artibus, et commerciis illicitis. 7. Qui ignorantia mysteriorum fidei voluntaria laborant, nec volunt curare illa addiscere.

Quaeres 12. *Quibusnam Confessarius teneatur differre absolutionem?*

*Resp.* Extra periculum mortis, eis quorum dubia ei apparet contritio, et dispositio debita, debet differre, donec adsint signa conversionis moraliter certa. Ratio est, quia, extra mortis periculum, non licet uti materia dubia, alias Sacramentum absque necessitate exponeretur periculo nullitatis et profanationis.

Hinc debet differri absolutio, 1. eis qui, etiam inculpabiliter, ignorant mysteria fidei necessaria necessitate medii ad salutem, mandata Dei et Ecclesiae, obligationes sui status, donec illa didicerint.

2. Eis qui nonnisi aequivoca dant doloris signa.

3. Eis qui peccaverunt ex habitu et relapsu, donec operibus probata fuerit eorum sincera conversio.

4. Eis qui versantur in occasione proxima *per se* peccati; si ea sit voluntaria, differenda est absolutio donec occasionem reliquerint. Si vero sit involuntaria, (qualis est occasio fratris cum sorore peccantis) differenda est absolutio, donec, per executionem mediatorum a Confessario praescriptorum, signa conversionis non aequivoca dederint. . . . quod si, mediis ad emendationem adhibitis, adhuc peccet ut antea, tunc per negationem absolutionis cogendus erit poenitens ad deserendam illam occasionem, cum quantocumque damno temporali, etiam cum famae et status jactura. Ita *Rit. Tullense, et D. Carol. in instruc. confess.*

5. Eis qui sunt in occasione peccati proxima *per accidens*, si sit involuntaria (v. gr. vir cui uxor est occasio juramenti) differenda est absolutio donec videat

tur emendatio. Si vero sit voluntaria, (ut ignorantia in iudice) vel tolli potest, vel non. *Si tolli possit*, differenda est absolutio, donec tollatur. *Si tolli non possit*, differenda est, donec poenitens reliquerit occasionem.

6. Eis qui dant proximo occasionem peccandi, differenda est absolutio, donec scandalum prorsus absciderint.

7. Eis qui tenentur ad restitutionem notabilem, differenda est absolutio, donec restituerint; quod si restitutio non sit notabilis, absolvi possunt ante restitutionem, quam facere sincere promittunt. Quod si eam superiori confessione praeceptam, facere neglexerint, tunc non sunt absolvendi antequam restitutionem, ipsis possibilem, fecerint.

8. Eis qui inveteratas cum proximo inimicitias exercent, differenda est, donec ei se reconciliaverint.

9. Eis qui aliquod grave scelus perpetrarunt, absolutio, *saltem ad aliquod tempus*, differenda est, donec operibus probaverint contritionem, quae in iis, qui statim a patrato tali scelere, absolvi praesumunt, est maxime equivoca, cum tam ab infamia per peccatum contracta, vel confusione inde percepta, possit oriri, quam ex odio et detestatione peccati.

#### § VII. De effectibus poenitentiae.

Quaeres 1. *Quinam sint effectus Sacramenti poenitentiae?*

Resp. Certum est, apud omnes, quod effectus huius Sacramenti sunt 1. Gratiae habitualis et sacramentalis infusio. 2. Omnis culpae remissio. 3. Condonatio poenae aeternae peccatis debitae, non tamen semper totius poenae temporalis. Verum utrum reviviscantia meritorum per peccatum mortificatorum sit effectus Sacramenti Poenitentiae, controversia est inter Theologos. Quare

Quaeres 2. *Utrum viva justorum opera, per peccatum mortificata, per subsequentem poenitentiam reviviscant?*

Resp. Reviviscunt. Nam Deus, peccatores ad poenitentiam invitans, Joel. 2. promittit se eis redditurum annos, quos comedit locusta, bruchus et rubigo, et eruca, id est, juxta interpretationem Patrum, omnia merita quae per peccatum amiserant.

Objicies. Ezequiel 18. de justo mortaliter peccante, dicitur: *Omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur. Ergo.*

Resp. Nego conseq. Nam Propheta loquitur de eo qui in peccato suo moritur: Addit enim, *in praevaricatione, qua praevaricatus est, et in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur.*

Quaeres 3. *Quomodo merita mortificata reviviscant?*

Resp. Reviviscunt juxta omnem gratiae gradum, quem ante peccatum habebant, et juxta totum jus ad gloriam quod merebantur, juxta illud Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit; atqui multum noceret, si, &c.*

Quaeres 4. *Utrum peccata per poenitentiam dimissa reviviscant per peccatum subsequens?*

Resp. 1. Non reviviscunt simpliciter, quia vere et realiter fuerunt deleta, cum econtra merita non fuerint per peccatum deleta, sed tantum suspensa propter peccati impedimentum, quo sublato reviviscunt.

Resp. 2. Reviviscunt secundum quid, quatenus peccatum sequens ratione ingratitude gravius fit, quam alias fuisset: *Unde reatus eorum, ratione ingratitude, virtualiter continetur in peccato sequenti*, ait Div. Thom. 3. p. quaest. 88. art. 2. ad 4.